



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. XXXIV. De Treuga Et Pace.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

IN TIT. XXXIV. DE TREUGA ET PACE.

Per Treugam intelliguntur hoc loco induciæ, per quas ad tempus ab armis cessatur, & tam personis quàm rebus temporaria præstatur securitas, discordia necdum finita, *Gl ad c. i. v. treugus hoc tit.* Idque vel ex conventionione partium, quo casu fides etiam hosti servanda est, *cap. Noli vers fides xxix quæst. i.* vel ex dispositione Canonum, ut scilicet in Quadragesima, Adventu, aliisque certis diebus abstinatur ab armis, *d. c. i.* Nisi tamen talis ingruat necessitas, ut etiam eo tempore pro aris & focis pugnandum sit. Deinde volunt Canones, ut etiam tempore belli Sacerdotes, Monachi, conversi, peregrini, mercatores, & rustici, item animalia, quorum usus est in arando, gaudeant securitate induciarum, *c. i. hoc tit.* Pax

finis est belli: unde Cicero dixit, ideo bellum geri, ut homines in pace, id est, securitate & tranquillitate vivant. Hoc tamen loco videtur potius accipi pro conventionione, qua securitas ista & vitæ tranquillitas, composito inter Principes dissidio, promittitur. Extenditur etiam ad eas conventioniones, quæ concernunt subditos; quo tamen casu non tam Pacis quàm Concordatorum nomine utimur. Cujusmodi leguntur in *Extravag. com. hoc tit.* Concordata partim inter Francos & Sedem Apostolicam ex pragmatica sanctione, partim inter Religiosos Ordinum mendicantium & Rectores parochialium Ecclesiarum in Germania. V. A.

IN TIT. XXXV. DE PACTIS.

Ad Cap. Antigonus 1.

SUMMARI A.

1. Pactum nudum quid.
2. Ex pacto nudo dari actionem jure Canonico.
3. An & jure civili?
4. Cur jure civili non nascatur actio ex nudo pacto.
5. Quæ actio hinc datur.
6. Dari ex nudo pacto actionem an rectè probetur ex c. i hoc tit.
7. Intellectus can. Juramenti xxii. quæst. 5.

EX hoc Capite Doctores nostri passim conantur evincere, ex nudo pacto non tantum exceptionem, sed & actionem nasci de jure Canonico, cum de jure civili non nisi exceptio nascatur, *l. iuris gentium 7. §. sed cum nullum §. seq. D. De pactis.*

Pactum nudum intelligimus, quod consistit in nudo consensu, ita ut non transeat in proprium nomen contractus, ut sunt emptio, venditio, locatio, conductio, & similes juris gentium contractus: item stipulatio & donatio; nam ex Justiniani Constitutione etiam donatio contractus est nominatus, *l. Si quis argentum C. De donat.* quamvis fiat, qui temerè reluctentur. Vel causam in se non habent, ut sunt contractus innominati. Do, ut des, Facio, ut facias, Do, ut facias. Si enim dedi vel feci, statim causa subest, ut tu e contra des, vel facias, quod in conventionem venit. Item

sunt pacta, quæ in ipso contractu apponuntur, vel incontinenti adjiciuntur, *d. l. iuris gens* quæ idcirco Doct. usitato more vestita appellant, ad distinctionem aliorum pactorum, quæ hæc non habent, ac proinde nuda pacta dicuntur. Exemplum est pacti nudi, si quis dicat, Dabo tibi centum, vel faciam hoc, vel illud, & alter annuat vel consentiat, nulla tamen præcedente interrogatione, alioquin stipulatio esset.

Ex his igitur pactis nudis DD. non minus a 2 actionem nasci volunt, quàm ex aliis pactis vestitis, *per h. text. & in c. Qualiter 3. inf. eod.* Rationem hanc adferentes, quòd, cum apud Deum nulla sit differentia inter simplicem loquelam & juramentum, *can. Juramenti II. quæst. 5.* profectò sicut ex juramento obligamur, *c. i. c. Debitores 5. inf. De jurejur. c. 2. De pactis in 6. l. i. & Auth. Sacramenta puberum C. Si adversus vendit.* ita etiam ex pacto nudo nos obligari conveniat. † A eo ut plerique 3 sentiant, etiam jure civili ex nudo pacto actionem nasci; vel, ut rectius explicem, actionem, quæ jure Pontificio datur ex nudo pacto, etiam transferri debere ad forum civile. Hac ratione ducti, quòd ubi peccatum vertitur, standum sit juri Canonico, relicto jure civili, *text. in c. fin. inf. De præscript. & c. Novis. 13. inf. De judic.* At in violandis pactis peccatum vertitur, *per hunc text. in fine & in d. c. 3. inf. eod.* in verbis

E 2

Studio-